Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Welper, C. W.]: Liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clarisem ingratus facit, 12. Aug. 1775

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

Locus Plinii

Liberalitatem jucundiorem, debitor gratus, clariorem ingratus facit Cap. XLVI. Paneg:

Thema inde decerpsit

Liberalitatis utcunque positae, ingentia commoda.

12 Aug. 75 gestellt

C.W. Welper.

SS. Theol. Stud.

Oeconomia

Exord. est officium, ad quod natura et status in quo vi,
vimus nos obligat, alios iuvare, nam
Sine mutuo auxilio nihil in mundo stare posset

Thema Liberalitatis utcunque ~~posita~~ ingentia comoda
Quia
I Ubi confertur in gratum, iucundior
II. Si cadit in ingratum eo clarior erit.

Ad jucunditatem spectant sequentia
1. Benefaciendi pretium quisque petit saltem ex animo
2. Animus, quod praestare possit, maius non habet amore
3. amoris ea natura est, ut delectet;
4. Eoque magis, cum refertur cupienti, provocanti, merenti:
5. Quo efficitur intima, eaque suavissima, animorum consen,
sio, ingenue dantis beneficia, grateque accipientis.
Ad claritatem ista valent, immerenti ingratoque benefacere
1. Rarius est; plerisque animum gratum pro benefacto re,
quirentibus;
2. Maius; Summa quippe bonitatis argumentum
3. Difficilius; obiectis nempe ab ingrato homine impedi,
mentis;
4. ac propter ista, conspectius, laudatius, admirabilius.

Director Excellentissime

Sodales honoratissimi.

In eam depressa Natura humana labem est, ut arcana Summi Numinis consilia recludere; eorumque explorare causas nefarie audeant. Ina, qualem sapientissimo huius Universi Latori bonorum distributionem, vitio posse dari, caeca prehensi caligine opinantur. Veruntamen si cogitarent stulti; non aliam ob causam magna multos opum vi donari, quam ut ex abundantia sua in alios erogent, eorumque consolentur egestatem; id si serius secum ~~com~~reputarent, ineptam Dei consilia reprehendendi rationem abiicerent. Atque ut sanctum hoc exequamur officium, ut nempe aliorum subveniamus necessitatibus ipsa etiam Natura impellimur. Sunt enim homines hominum causa generati; ut ipsi inter se alius alii prodesse queant: Sequerenturque in hoc naturam ducem, ut quemadmodum illa quae in terris gignuntur ad usum hominum

omnia creat. sed illi communes utilitates afferent in medium, mutatione officiorum dando, accipiendo: atque tum artibus, tum opera, tum facultatibus devinciendo hominum inter homines societatem. Non enim cum in finem eminentiori loco quidam a Deo constituti sunt, non ideo iis concessae opes, ut domi inutiliter habeantur; non ut in arca recondantur; non ut defodiantur in terra: sed ut foras liberaliter effundantur, ut dispergantur denturque egentibus. Ad hoc accedit, quod multo est pulchrius et iustius, multorum parentem dici pauperum, quam pecuniosum haberi: Aurum quippe a natura mortalibus non possidendi tantum, sed multo magis utendi causa datum. Sicut enim corrumpitur aqua in puteo, nisi frequenter exhaurias, ita squallent divitiae in occulto nisi ad multorum subsidia in lucem splendoremque proferantur; atque ut hoc exequamur ipsius etiam

securitatis nostrae atque aestimationis interest. Qui
enim liberalitate utuntur, benevolentiam sibi
conciliant, et, quod aptissimum est ad quietem vivendum, charitatem. Videtis adeo, auditores Spectatissimi, quod, nisi hoc liberalitatis officium
exerceatur, humanitatisque merita in alios collocentur, collabi atque interire omnia necesse esse,
nec stare ipsum Mundum posse, optime autem
societatem hominum conjunctionemque servari,
si, ut quisque est egentissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferamus. Ne vero a
scopo proposito longius aberrem, summam Orationis meae statim aggredior, atque benigne faventibus Vobis, Liberalitatis utcunque locatae in
gentia commoda, sum explanaturus. Ut vero Thema
rationem quandam secutus esse videar, rei propositae veritatem ex duplici beneficiorum collocatione
stabiliam; atque ubi conferuntur in gratum sic,
ei jucundiorem liberalitatem, ubi in ingratum

acciderint, claritatem eo magis exsplendescere coni, cam. Hoc vero mihi erit validissimum bene gerendae rei incitamentum, si aliquantum tem, poris attentionis vestrae adiumentum mihi non denegaveritis

Liberalitatem in gratum collocatam maiori ani, mum perfundere, quam si eadem impertiatur non merenti, adeo melius appareat, id in confesso esse con, cedendum est, ut saltem pro benefactorum pretio iure suo quemlibet requirere posse, ut animi quodam affectu in hunc feramur, qui prodiciis et pressione, bus nostris subvenit. Quum enim praeter hunc ani, mi favorem nihil ex altera parte supersit, quod compensationis loco benefactori suo reponere queat, sponte sua fluit, hoc unicum esse, quod repetere quis ab altero potest. Primum enim parem referre gratiam ob afflictas res nequit; dein liberalitas gra, tuita potius esse debet, quam mercenaria; quum vero, qui sine ulla praemii spe benignum se probet alteri, is demum gratuitum exhibuisse beneficium dicitur; nec est dubium, quin is, qui liberalis be,

nignusve dicitur, officium non fructum sequi tem, atur. Danda igitur sunt beneficia tanquam nunquam fenus recepture, nec abiectissimo modo accipiamus, sunt eroganda. Quum tamen omnis benefaciendi pretium peti cupiditas lan, guesceret, nisi aliquo tamen modo utiliter collocari se nos beneficia intelligeremus, nec ullus alius mo, dus fas habendus sit, sequitur, benefaciendi pretium peti ex animo deberi; Animus autem nihil in se concludit efficacius nihil moventius, quam divi, nam illam amoris affectionem, hic ceteras vires antecellit, et impetu quodam, etiam cum sua noxa benefactum vult illi, cui bene cupit. Sufficit autem voluptas cum tribuendi facultas deest. Nihil est sanctius nihil divinius illo amore qui a grato ani, mo proficiscitur; nam si Natura ipsa in hunc amo, re concitamur, in quo eminentes elucent perfectiones, etsi nullis nos beneficiis sibi devinxerit, quanto ma, gis huic animus addicti, qui laborantes nos ac diffi, cultatibus pressos opibus sustentate et quasi re,

conditos amoris igniculos excitat; praesertim.
cum non illius lucri spe nec recuperandi cupidi,
tate ab omni avaritia ac sordibus alienis simus,
sola tactus id fecit miseria. Idem ille amor
summa animum voluptate percellit, et dulcis,
simis eius in quem fertur imaginibus replet.
solum hunc miratur, hunc solum loquitur, obstu,
prescit illi illius laudibus defessus haeret. Quomodo
enim fieri potest, ut, non si mutuum nullisque prose,
rendum verbis alterius in nos favorem cognoveri,
mus, summus nos gaudii sensus perstringat; quod gau
dium etiam adauget, vel perfectionum ab altero possessa,
tarum possessionis persuasio, vel etiam possidendi
cupido. Hoc enim in aperto est, incundum nobis
inici ruborem, quem alter, aut quas habemus,
perfectiones laudibus prosequitur, aut si quibus ca
remus, nobis affingit. Atque eo vehementiori pere
trahimur amore, si beneficia conferimus in cupi,
entem provocantem merentemque. Qui enim bene,
ficia ab altero expetit, summa hunc et acerbissima
calamitate premi necesse est. Ea enim est natura

verecundia ut insitu beneficentiam aliorum im-
ploremus, quoniam quidem voti nostri summam
aut obtinere ab altero desperamus, aut miseria-
rum detrectamus commemorationem. Nisi igitur
quispiam adeo ferus atque ab omni humanitate
alienus animatus fuerit, ut cor animumque preci-
bus ac votis alterius occludere valeat, nisi potius
faciles opem eius imploranti praebuerit aures.
Maiorem sane in modum afficitur, miseris eius
succurrisse et a calamitatum quibus agitabatur
procellis vindicasse: Neque tamen eo dico, expectan-
dum esse in beneficiorum collocatione, donec alter
precibus a nobis expostulet. quum gratissima sint
beneficia parata, ac facile occurentia, ubi nulla mora
fuit, nisi in accipientis verecundia. Illud tantum
urgeo melius tutiusque, naturae etiam nostrae accom-
modatius esse beneficia exhibere petenti. Primum
nisi alter ipse miseriam nobis exponat, non tantum
miseremur, tolerabiliorem quippe eius esse fortu-
nam nobis persuademus; saepius etiam nos fu-

git, quo animo alter beneficium sit accepturus. Adhoc accedit quod superbiae notam non efflagitanti a nobis inurimus. Nec minimum ad conciliandum valet amorem, si morentem et diligenti officiorum executione, et quarumvis virtutum sectatione se nobis commendantem e calamitatibus eximimus; atque hoc effici necesse est, intimam eamque suavissimam animorum consensionem, quum alter sola alterius miseria tactus, virtutemque patientem aegre ferens ex miseriarum gurgite illum extrahit, salvumque in portum constituit, alter vada et scopulos praetervectus gratissimo animo conservationem suam excipit, se suaque omnia alterius imperio subiicit, et in eius conversatione dulcissimo modo acquiescit.

Restat ut beneficii in ingratum collocati claritatem Vobis exponam. Primo enim rarissimum est ac plane inter homines inusitatum, beneficia alteri exhibere, nisi is vicissim aliquid praestet, et accepta beneficia aut compenset aut cuma,

latius etiam reddat. Videlicet indeterminata est hominis cupiditas, qui non sola, alterum juvasse, cogitatione contentus maiori usura, quod dedit, recipere cupit. Quo modo illi quidem auxilii naturam plane subruerent; quum enim illud in virium sustentatione eiusque alterius sublevatione consistat, consequitur, minime rebus humanis consuli miserorumque augeri numerum, si alter quod dedit, pari mensura reposcit. Nec video omnino, quomodo fieri possit, ut alterius infelicitas hac ratione tollatur. Angitur enim excruciaturque animus rerum ipsi traditarum redditione ac requisitione occupatus, quin potius acerbissimo in benefactorem suum odio concitatur; qui infra omnem hominis dignitatem, fontem mali non tollere, sed augere; non adiicere aliquid fortunis nostris, sed etiam miserias in eodem fati reliquias auferre nefarissimo conatur. Omnem igitur admirationem, omnem laudem nostram meretur, qui modo plurimis inconsueto illi beneficia tribuit, qui omnem

recuperandorum spem tollit. Sed maioris hoc animi indicium est, summusque beneficentiae gradus. Multam quidem laudem meretur, qui humanitatis officia in illos quoque exercet, qui faciliorem fortunae aspectum meruissent, honoribusque ac opibus ob recte facta decorari. Ast ad hoc officium natura ipsa impellimur, nisi quis sanctissima humanitatis iura violare auserit. Homini vero abiectissimo et contra ipsam rerum naturam militanti beneficum sese exhibere, id demum iure suo meritoque suspiciendus colendusve est; id etiam invitis nobis stuporem nostrum extorquet. Sed quid causae est, cur tam inutiliter ut videtur, modo vires suas profundat? Nihil sane aliud, quam eximia, quae animum ipsius regit humanitas, qui nullum afflictum licet immeritum, et cum malis merito conflictantem, nullum omnino miseri aspectum sustinere potest, ad meliorem frugem reduci posse, aliis, que olim iuvare. Miramini talem et perpetuare, condite memoria virum, ingrato, (quo communi quodam gentium omnium consensu et instituto

nihil habetur detestabilius turpiusve, prodesse conantem. Huic accedit, quod, qui talem hominem juvant, immensa illis vincendae sunt difficultates, amori eius adversantes. Quippe contra eum militandum est, qui omnis amoris vincula rumpit, apertumque se profitetur totius humani generis hostem, qui quum infamem ingratitudinis maculam in sese abscondit, auxilio nostro indignissimus ipse se excludit; Quin etiam, detestandam nequitiam! accepta beneficia comminuit ac contemnit, benefactorisque sui atterere famam conatur eumque extenuare. Quae cum ita se habeant, intelligi potest, nihil tali homini esse sanctius nihil admirabilius nihil divinius. Is enim, vel si ipsi pereundum sit, in aliorum laborat utilitatem, nihilque quod ad nobilitandam hominum societatem facere aliquid possit, intentatum relinquit, atque hoc modo vero hominis dignitati satagit, et prae aliis, qui decora tantum et cuivis obvia sectantur, summis etiam periculis inconcussus, mirum in modum

exsplendescit //.